

dixerit, nimia tamen limitatione, electorum peccata semel hic per penitentiam recta, & deleta, in iudicio non fore detegenda, imò aliis omnibus tegenda; operæpretium duximus, nonnulla hic in illius tutamen obiter apponere, ut sensum Magistri ab omni Parisiensium censurâ immunem evulgare possimus.

35. Primò: Quia Magister hoc absolute non profert; sed nihil super hoc expressum in sacra se legisse Scripturâ affirmat. Secundò: Quia non negat, omnia omnibus in iudicio manifestanda, sed ait, ex Scripturis sacris hæc pro comperto non habere; neque ex Sanctis Patribus; nec ex Scholasticorum unanimi consensu tempore Magistri explorata fuisse. Tertio: Quia hoc Magistri placitum modò arridet pluribus; nec omnibus ejus litteram lustrantibus ingratum, & insulsum apparet.

36. Cæterum fatemur ingenuè, communem Thologorum Opinionem in his refragari Magistro, cui non ultronei subscribimus. In die enim novissimo, omnia omnium bona, pariterque mala omnibus nota erunt. Ostensio malorum in bonis erit ad manifestationem misericordiæ prius factæ; bonorum verò in eis ad ostensionem justitiæ. Malorum autem in reprobis ad ostensionem justitiæ; & bonorum in eisdem ad manifestationem misericordiæ.

37. Tandem pro præsentis distinctionis calce, duo Magister avidè excitat dubia. Primum: An illi, quos Christus Dominus inveniet vivos, dum venerit judicari sæculum per ignem, sint tunc morituri? Et quanvis dubium operosum videatur Magistro, pars tamen affirmativa Scripturis sacris, Sanctorumque Patrum decisionibus magis apparet conformis.

38. Probatur primò ex Divo Paulo 1. ad Thessal. cap. 4. dicente: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Sed non omnes resurgere possunt, quin prius omnes moriantur, eò quòd resurrectio mortuorum præsupponat eorum mortem: igitur nullus sine morte mediâ poterit ad iudicium universale venire.

39. Secundò similiter probatur ex eodem Apostolo 1. Corint. cap. 15. his verbis: *Quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur.* Ergo ut homines vivificentur, prius requiritur ut moriantur; sed in die iudicii omnis caro erit vivificanda: ergo opus est, ut prius moriatur; atque ad eò omnes illi, quos Christus Dominus inveniet vivos, mediâ nocte ad iudicium universale venturi sunt.

40. Tertio ratione sic instaurari valet assumptum: Eò quòd anima Beatissima Virginis Matris sit immortalis, rectè consequitur, quòd omnis rationalis anima sit immortalitate prædita: ergo suppari ratio-

ne deducitur, quòd si unum surrexit corpus, scilicet Christi Domini; & quòd cætera alia humana resurgant corpora; sed si Christus Dominus verè non fuisset mortuus, verè non resurrexisset: ergo nec ullus homo verè resurget, si prius non moriatur: ergo quos Christus Dominus inveniet vivos, dum venerit judicare sæculum per ignem, morituri sunt, ut verè possint resurgere, sitque mortuorum resurrectio universalis.

41. Sed oppones primò ipsum Apostolum 1. ad Thessal. cap. 4. dicentem: *Nos qui vivimus, qui relinquamur, simul rapiemur cum illis, in nubibus obviam Christo in aera, & si semper cum Domino erimus.* Sed ex eò quòd vivi simul rapiantur cum aliis in nubibus, dum Christus Dominus ad iudicium venerit, non est necesse, ut quos ipse inveniat vivos, moriantur, ut possit plenè iudicium fieri: ergo.

42. Respondetur cum Magistro negando Minorem, & Consequentiam. Cujus exactam solutionem ad litteram ex ipso apponimus. Nam, si Sanctos, qui invenientur, Christo Domino veniente, vivos, eique obviam rapiuntur, crediderimus, in eodem raptu de mortalibus corporibus exituros, & ad eadem immortalia redituros, nullas in verbis Apostoli patiemur angustias, generaliter accipientes illud, quòd dictum est: *Omnes quidem resurgemus, scilicet, tam boni, quam mali; sed non omnes immutabimur, quippè in solemnitate resurrectionis.*

43. Huic consonant solutione Ambrosii verba sup. 1. ad Thessal. cap. 4. sic ac rem appositè alloquentis: *In ipso raptu eorum, qui vivi reperientur, mors erit, & resurrectio: Ubi anima quasi per soporem egressa de corpore, eidem in momento reddatur.* Hactenus Magister: ergo credendum est piè, quos tunc Christus Dominus vivos inveniet, dum ad iudicandos vivos, & mortuos venerit, morituros.

44. Oppones secundò Doctorum Maximum Hieronymum scribentem ad Marcellam, epist. 4. & dicentem: *Quosdam in fine sæculi, adveniente Christo, non esse morituros, sed vivos repertos in immortalitatem repente mutandos.* Sed hoc expressum Hieronymi testimonium se omnino in obvium dat Magistri decisioni: ergo plerique sine morte mediâ ad universale iudicium accedent.

45. Respondetur, Magistrum huic appositi dubii resolutioni non tam firmiter adhæsisse, ut non cupidè exoptaret, alios super his audire discursantes doctiores, ut ipse expressè in textus litterâ innuit. Tamen ad Hieronymum non incongruè respondere possumus, locutum fuisse de iis, qui in fine sæculi non sunt morituri eadem communi, &



regulari morte, quâ mortui sunt hi, qui eos præcesserunt, sed alio mirabili, & speciali mortis genere, quippè in ipso raptu, ubi animæ, quasi per soporem egressæ de corporum ergastulii, ipsis in momento reddentur.

46. His subjungit Magister quandam Augustini Expositionem, quâ pulchrè expendit, quomodò dicatur Christus Dominus iudex vivorum, & mortuorum. Dicitur iudicare vivos, & mortuos. *Vivos*, idest, tunc viventes, sive qui in adventu ejus vivi reperientur, licèt in raptu moriantur. *Mortuos*, idest, qui ante decesserant. Vel aliter, vivi, & mortui idem sonant, ac iusti, & iniusti secundum communem Scripturæ phrasin.

47. Secundum, & ultimum dubium sic litteraliter à Magistro proponitur: Quomodò sit verum, juxta Apostolum I. Corinth. cap. 15. quòd omnes homines resurgent incorrupti? Et respondet, quia omnes resurgent immortales absque ullâ membrorum diminutione futurâ: At, non omnes resurgent impassibiles, eò quòd non sit idem, hominem esse immortalem, ac impassibilem.

48. Sic obiter perficit ex dictis probationem Magister: Hi resurgent incorrupti, qui sine membrorum diminutione, omnia humani corporis habituri membra; sed qui resurgent absque ullâ membrorum diminutione futurâ, haud dubie immortales erunt: ergo ideò omnes homines resurgent incorrupti, quia immortales resurgent; sed tam reprobi, quàm electi resurgent immortales: ergo & incorrupti.

49. Sed oppones: Reprobi resurgent incorrupti, quia resurgent immortales; sed qui resurgant immortales, reverà impassibiles resurgent: ergo reprobi impassibiles resurgent; sed impassibilitas omninò refragatur reprobis; cum mortem sint passuri æternam, & spe, gloriâque impassibilitatis nunquam sint decorandi: ergo nec erunt immortales, nec incorrupti.

50. Respondetur ex Magistro negando Minorem, & duplicem Consequentiam. Quia licèt esse immortale, & incorruptile passim pro eodem usurpetur; tamen esse immortale, & esse impassibile non semper coherent, eò quòd diverso oriuntur ex capite. Reprobi enim resurgent immortales, & incorrupti, quia absque ullâ membrorum attenuatione futurâ resurgent; at impassibiles non resurgent, quia impassibilitas est gloriæ corporis dos, quæ ex animæ beatitudine consequitur: Cum ergò reprobi hanc animæ gloriâ, beatitudinæque priventur, nequit impassibilitatis dos ipsis aptari. In electis vero incorruptibilitas, immortalitas, & impassibilitas rectissimè copulantur. Et hæc de tertiâ, & ultimâ distinctionis parte satis superque sint dicta.

QUÆ:

QUESTIONES.

51. **QUÆSTIO** 1. An hominum resurrectio fit futura? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 4. dist. 43. q. 1. art. 1. & in Supplement. 3. p. q. 69. art. 1. Raynerius de Pisis tom. 3. verb. resurrectio, tit. 1. num. 1. & seqq. Mauritius de Lezanâ tom. 1. verb. resurrectio, num. 1. & seqq. Sotus in 4. dist. 43. q. 1. art. 1.

52. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 43. q. 1. Poncius tom. 4. tract. 5. disp. 19. q. 10. Hiquæus in 4. dist. 43. q. 1. Carriere tom. 1. art. 7. q. 2. & 3. Brancatus tom. 4. disp. 3. art. 3. Sanning tom. 2. dist. 4. quest. 1.

53. Ex Scholâ Eximiâ Suarez disp. 57. sect. 8. Valentia disp. 11. q. 3. punct. 1. Ex aliis D. Bonaventura in 4. dist. 43. q. 1. art. 1. Gaudentius tom. 6. disp. 41. Ballæo verb. resurrectio, num. 1. & seqq.

54. **QUÆST.** 2. An, & quomodò omnium, etiamque electorum opera sint omnibus in iudicio manifestanda? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 4. dist. 43. q. 3. art. ult. & 1. p. q. 24. art. 3. Sotus in 4. dist. 43. q. 1. art. 2. & seqq. Lezana tom. 1. verb. resurrectio, num. 3. Raynerius de Pisis tom. 3. verb. resurrectio, num. 2. & seqq.

55. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 43. q. 1. Brancatus de Lauræa tom. 4. disp. 10. art. 9. §. 1. & 2. Carriere tom. 1. art. 7. q. 3. Poncius tom. 4. tract. 5. disp. 19. q. 9. Hiquæus in 4. dist. 43. q. 2. Sanning tom. 2. disp. 4. q. 2. Castillent. in Polyanth. Seraph. verb. resurrectio, num. 2. & seqq.

56. Ex Scholâ Eximiâ Suarez disp. 57. sect. 9. Valentia tom. 4. disp. 11. q. 3. punct. 1. Ex aliis D. Bonaventura in 4. dist. 43. q. 1. art. 3. Gaudentius tom. 6. disp. 43. q. 22. Ballæo verb. resurrectio, num. 2. & seqq.

57. **QUÆST.** 3. An ante resurrectionem universalem omnes homines sint morituri? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 4. dist. 43. q. unic. art. 1. Raynerius de Pisis tom. 3. verb. resurrectio, num. 3. & seqq. Lezana tom. 1. verb. resurrectio, num. 4. Sotus in 4. dist. 43. q. 1. art. 2. & seqq.

58. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 42. q. 5. Brancatus de Lauræa tom. 4. disp. 2. art. unic. Carriere tom. 1. art. 11. q. 10. Sanning tom. 2. dist. 4. q. 2. Poncius tract. 5. disp. 19. q. 10. Castillent. in Polyanth. Seraph. verb. resurrectio, num. 3. & seqq. Aquila in 4. dist. 43. q. 1. art. 1. Hiquæus in 4. dist. 43. q. 1. art. 1. & seqq.

59. Ex Scholâ Eximiâ Suarez disp. 44. sect. 6. Valentia tom. 4. disp.

Tom. V.

X

disp.



disp. 11. q. 3. punct. 3. Ex aliis D. Bonaventura in 4. dist. 43. q. 2. art. 3. Gaudentius tom. 6. disp. 43. q. 23. Bassæo verb. resurrectio, num. 7. & seqq. Ezpeleta in Select. tract. 2. resol. 15.

60. QUÆST. 4. An hominum resurrectio sit superna, & miraculosa? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 4. dist. 43. & 44. art. 1. q. 2. ad 1. Joannes de Neapoli quod lib. 21. q. 6. Mauritius de Lezanâ verb. resurrectio, num. 7. & seqq. Raynerius de Pisis tom. 3. verb. resurrectio, tit. 1. num. 3. Paludanus in 4. dist. 43. q. 2. & 3.

61. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 43. q. 3. Poncius tract. 5. disp. 19. q. 10. Sanning tom. 2. dist. 4. q. 1. Carriere tom. 1. art. 11. q. 11. Castillent. in Polyanth. Seraph. verb. resurrectio, num. 4. Hiquæus in 4. dist. 43. q. 1. art. 2. Aquila in 4. dist. 43. q. 2. art. 1. Brancatus tom. 4. disp. 6. art. 1.

62. Ex Scholâ Eximiâ Suarez disp. 44. sect. 6. Valentia tom. 4. disp. 11. q. 2. punct. 1. Tannerus disp. 2. q. 4. dub. 3. Ex aliis D. Bonaventura in 4. dist. 43. q. 3. art. 3. Gaudentius tom. 6. disp. 41. q. 2. Bassæo verb. resurrectio, num. 7. Ezpeleta in Select. tract. 2. resol. 16.

63. QUÆST. 5. An corpora resurgentium erunt omninò eadem, quæ primò viva? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 4. dist. 44. q. 1. art. 1. & lib. 4. contra Gent. cap. 81. Modestus à S. Gregorio tom. 1. q. 4. sect. 1. p. 131. Nazarius 3. p. q. 54. art. 1. Sotus in 4. dist. 43. q. 1. art. 7. Paludanus in 4. dist. 43. q. 3. & seqq.

64. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 43. q. 3. Brancatus de Lauræa tom. 4. disp. 6. art. 7. Carriere tom. 1. art. 11. q. 2. 4. & 5. Poncius tract. 5. disp. 19. q. 10. & seqq. Sanning tom. 2. dist. 4. q. 1. Castillent. in Polyanth. Seraph. verb. resurrectio, num. 7. & seqq. Hiquæus in 4. dist. 43. art. 3. Aquila in 4. dist. 43. q. 2. & seqq.

65. Ex Scholâ Eximiâ Suarez disp. 44. sect. 2. Valentia tom. 4. disp. 11. q. 3. punct. 3. Tannerus disp. 2. q. 4. dub. 3. & seqq. Ex aliis D. Bonaventura in 4. dist. 43. q. 4. Gaudentius tom. 6. disp. 41. q. 2. Ezpeleta in Selectis, tract. 2. resol. 16. Bassæo tom. 2. verb. resurrectio, num. 6. & seqq.

66. QUÆST. 6. Quanam sit resurrectionis causa efficiens futura? De quo, hic quæst. 1.

67. QUÆST. 7. An sit certa & infallibilis extremi iudicii dies? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas in 4. dist. 43. q. 1. art. 8. & seqq. Sotus in 4. dist. 43. q. 1. art. 7. Paludanus in 4. dist. 43. q. 4. & seqq. Nazarius in 3. p. q. 54. art. 2. & seqq. Modestus à S. Gregorio tom. 1. q. 4. sect. 2. & seqq. p. 132.

Ex

68. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 43. q. 3. & seqq. Poncius tract. 5. disp. 19. q. 10. Lauræa tom. 4. disp. 6. art. 8. Sanning tom. 2. dist. 5. q. 1. Castillent. in Polyanth. Seraph. verb. resurrectio, num. 8. & seqq. Hiquæus in 4. dist. 43. art. 3. Aquila in 4. dist. 43. q. 3. & seqq. Carriere tom. 1. art. 11. q. 4. & seqq.


69. Ex Scholâ Eximiâ Suarez disp. 44. sect. 3. & seqq. Tannerus disp. 2. q. 4. dub. 4. Valentia tom. 4. disp. 11. q. 4. punct. 4. Ex aliis D. Bonaventura in 4. dist. 43. q. 4. Bassæo tom. 2. verb. resurrectio, num. 6. & seqq. Ezpeleta in Selectis, tract. 2. resol. 17. Gaudentius tom. 6. disp. 41. q. 3. & seqq.

70. QUÆST. 8. An Elias & Henoch sint morituri? Ex Angelicâ Scholâ D. Thomas 3. p. q. 49. art. 5. & 1. p. q. 102. art. 2. ad 3. Maluenda de Anti-Christ. tom. 2. lib. 10. cap. 20. Raynerius de Pisis tom. 3. verb. iudicium, num. 7. Mauritius de Lezana verb. iudicium, num. 4. & seqq.

71. Ex Subtili Scholâ Scotus in 4. dist. 43. q. 1. & seqq. Castillentus in Polyanth. Seraph. verb. iudicium, diff. 1. num. 4. & seqq. Hiquæus in 4. dist. 43. q. 3. art. 1. & seqq. Cottonius tom. 1. lib. 5. Contror. 7. q. 1. cap. 1. Carriere tom. 1. art. 12. q. 1.

72. Ex Scholâ Eximiâ Suarez tom. 2. in 3. p. q. 59. art. 6. disp. 55. sect. 1. Viegas in cap. 11. Apocal. comment. 5. sect. 4. Alcazar in cap. 11. Apocal. vers. 13. Roa tract. de Animb. purg. cap. 1.

73. Ex aliis D. Hieronymus epist. 148. ad Marcell. S. Ambrosius in Psalm. 45. S. Prospr. in dimidit. tempor. cap. 15. & 16. S. Gregorius lib. 14. in Job, cap. 11. & lib. 9. cap. 3. Tertull. de Anim. cap. 50. Hippolit. orat. de consummat. mundi. Beda de ratione tempor. cap. 68. Raban. Opuscul. de Anti-Christ. Joan. Damascen. lib. 4. de fid. orthodox. cap. 27. Cæsarius apud Cedren. p. 204. Ezpeleta in Select. tract. 2. resol. 11.



X 2

DE